

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (38)

4.12.2.4. De dissensionibus cum Protestantibus (2)

Itaque contractū nondum definitive iuncto consultationes atque disputationes continuabantur. Sed eadem propter diversa desideria utriusque partis diutius protractae sunt.

Iam in epistolā suā die 9^o m. Febr. a. 1911^o scriptā Carolus Axenfeld indicaverat Berolinensium opera in regione Nyassa exanclanda ita disposita esse, ut in directiones septentrionalem, orientalem et meridionali-orientalem extenderentur. Etiam hic iterum apparet ille cogitandi modus postulans, quo desideria cum vera possessione iam aequiperantur.¹ Tamen Carolus Axenfeld sibi conscius erat in contractū iungendo utramque partem compromissa facere debere. Primo ei agitur imprimis de oppidis Wiedhafen atque Iringa, quae in extremis lateribus regionis disputatae sita sunt. Voluit itaque paragraphum secundum contractūs, qui adhuc fuit, mutare, cum oppidum Wiedhafen synodae Konde esset magni momenti.² Novus textus huius paragraphi esset talis, quo oppida Wiedhafen atque Iringa quidem essent quadamtenus neutralia, sed alteri consociationi missionariae ibidem procuram instituere (id est catholicis in oppido Wiedhafen et Protestantibus in oppido Iringa) et praeterea Christianos suos in diaspora viventes curare liceret. Labores scholares missionariaeque Protestantibus in oppido Wiedhafen, Benedictinis in oppido Iringa non essent restricti.

Maioris momenti sub aspectū totius progressūs futuri atque dissensionum profundarum inde exortarum mihi videntur esse Caroli Axenfeld dicta die 12^o m. Dec. a. 1911^o prolata. Ibīdem dixit exstare iam magnam motionem localem Africanorum. Itaque esse *«quaestionem vitalem uniuscuiusque missionis, quā nullo modo aliquibus rationibus impediretur, quominus homines suos sequeretur»*. Itaque omnino non desideravit *«hōc ius, quod per se intellegi-*

1 Itaque ibīdem scribit regionem protestanticam stationibus catholicis *«quasi cinctum»* esse.

2 Carolus Axenfeld dixit verbis paragraphi secundi, uti adhuc constitutus erat, *«significari partem praecipuam laboris iam exsistentis atque in futurum praedispositi alicuius synodae deleri»*. (Verba originaliter Theodisca). Itaque de hac quaestione synodam Konde esse interrogandam. Si autem contractus mutaretur in contractum inter Carolum Axenfeld atque Thomam Spreiter et paragraphus secundus quōque mutaretur, non necessarium esse, ut synoda Konde interrogaretur. Videtur autem hōc modō argumentandi logica interna aliquatenus deesse.

tur, contractū nostro addubitari». Alicuius momenti etiam est sententia Caroli Axenfeld, quā dixit «*conventiones nostras non licere ducere ad constrictionem progressuum naturalium*». Et praeterea scripsit oppida principalia atque venas commeatūs non posse fieri monopolium unīus missionis. «*Conamen, quo talia stipulentur, vi factorum ad irritum redigeretur.*»³

Etiamsi Carolus Axenfeld in contractū ab ipso mutato non iam quicquam novare voluit atque Thomam Spreiter urgebat, ut contractum retractatum subscriberet,⁴ videtur tamen his sententiis suis «portam posticam apertam». ut ita dicam, sibi curavisse.

Sed Thomas Spreiter dubitationes missionariorum suorum erga contractum serio recepit - imprimis quod attinebat ad limitis lineam orientali-septentrionalem - atque contractum retractatum nondum subscripsit. Itaque consultationes fieri perrectae sunt. Episcopus autem die 19^o m. Aug. a. 1911^o Carolo Axenfeld epistulariter scripsit «*usque ad rem decretam valere statum quo ante*». ⁵ Hoc dictum eiusque interpretatio est magni momenti, quod attinet ad cursum eventuum sequentium atque ad argumenta invicem prolata, et itaque idem iterum iterumque apparet.

Quales vero dubitationes missionariis Benedictinis erant erga limitis lineam praecogitatum? Praeter alia hōc demonstratur commercio epistulari inter P.rem Iosephum Damm, Superiorem stationis Ifakara, et superintendentem Christianum Schumann, quo P. Iosephus Damm nonnulla puncta sibi difficilia explicuit atque Christianum Schumann rogavit, ut illa puncta respiceret atque limitem sub hōc aspectū mutaret.⁶ Unā ex parte P.ri Iosepho Damm agebatur de indiciis limitis non certis, cum quidam ex fluviis rivisque ibi nominatis variis temporibus anni hunc in modum non exsisterent. Talibus

3 Epistula Caroli Axenfeld die 12 m. Dec. a. 1911 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Sententiae originaliter Theodiscae.


4 Cfr epistula Caroli Axenfeld die 12 m. Dec. a. 1911 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07).

5 Thomae Spreiter epistula die 19 m. Aug. a. 1911 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07). - Verba originaliter Theodisca.

6 Cfr Iosephi Damm epistula die 23 m. Maii a. 1911 ad Christianum Schumann directa (ASO, Z.1.07); Christiani Schumann epistula die 3 m. Iul. a. 1911 ad Iosephum Damm missa (ASO, Z.1.07); epistula Iosephi Damm die 18 m. Sept. a. 1911 ad Christianum Schumann missa (ASO, Z.1.07); Christiani Schumann epistula die 29 m. Nov. a. 1911 ad Iosephum Damm directa (ASO, Z.1.07); Iosephi Damm epistula Kal. Febr. a. 1912 ad Christianum Schumann directa (ASO, Z.1.07). - Tamen non potuit esse efficax Christianum Schumann rogare, ut limitem mutaret, cum eidem non erat potestas hac in re.

terminis tam inexactis tantummodo problemata exoriri scripsit. Tamen maioris momenti mihi videntur alia argumenta fuisse. Nam secundum opinionem P. ris Iosephi Damm et territorium circumcirca Muhangam atque territorium Uchungwe dictum et territorium inde ab fluvium Kihanzi usque ad oppidum Iringa pertinebat iure ad operandi regionem Benedictinorum, quia iidem ibi iam pridem missionem exercerent atque scholas haberent (aliter ac Protestantes). Sed etiam aspectum «naturallem» sic dictum respici voluit, cum de hominibus illā in regione disputatā imprimis cogitandum esset, *«qui, quod attinet ad religionem, non seiungerentur»*.⁷ Hōc ipsum argumentum mihi videtur vere intellegibile, cum sic animus ad sensūs affectūsque hominum, de quibus agebatur, advertatur, id quod in conventionibus atque inter dissensiones saepe non factum est. Christianus autem Schumann ex parte suā argumenta geographica Iosephi Damm refutare conatus est et putavit meliorem limitem institui non posse. Se ipsum nonnullis principibus Africanis iam dixisse eos ad missionem protestanticam pertinere.⁸ P. Iosephus Damm sicuti reliqui missionarii scilicet episcopo argumenta sua communicavit.

Anno 1912^o inspector missionarius Carolus Axenfeld iter visitationis in Africam Orientalem suscepit, ut stationes Berolinesis Consociationis Missionariae ibīdem sitas inviseret atque synodam generalem illarum trium Beroli-



P. Iosephus Damm.
[ASO, Archivum imaginum.]

7 Iosephi Damm epistula Kal. Febr. a. 1912 ad Christianum Schumann directa (ASO, Z.1.07).

8 Cfr. Christiani Schumann epistula die 29 m. Nov. a. 1911 ad Iosephum Damm directa (ASO, Z.1.07). - Agebatur de principibus Makua atque Undole, de quorum scholis postea revera rixae vehementes exortae sunt. Etiam hōc in conexū interrogandum est, num Christiani Schumann modus agendi paululum parecipitans fuerit, antequam contractus definitive ratus habebatur. - Scitū digna est adnotatio manu scripta, quam P. Iosephus Damm huic epistulae Christiani Schumann subiunxit. Ibīdem iterum nonnulla argumenta ab ipso iam prolata enumeravit, quae erant contra limites praecogitatos. Eius iudicium finale de hac re erat hoc: *«Ex his atque praeterea aliis causis dispositio terminorum retractanda est et eadem sub respectu condicionum iuridicarum naturaliumque fiat vel melius omnino omittatur.»* (Verba originaliter Theodisca.)

nensium synodarum Africae Orientalis institueret.⁹ Carolus Axenfeld inde a mense Martio usque ad mensem Decembrem anni 1912ⁱ in Africā versabatur. Cum consultationes de contractū limitum nondum ad finem pervenissent, idem atque episcopus Thomas Spreiter die 4^o m. Iun. a. 1912^o in urbe Daresalamensi convēnerunt,¹⁰ cui etiam superintendens synodae Berolinensis Usaramo Martinus Klamroth interfuit.¹¹ Tamen etiam inter haec colloquia nihil definitivum evēnit, cum utraque pars desideria dubitationesque alterius accipere non potuit neque voluit.¹² Tamen inter episcopum atque inspectorem missionarium constitutum est, ut in ipso loco, id est in illā limitum regione disputatā denuo ad alias consultationes convenirent, ut condiciones locales inspicerent. Sed certus terminus temporalis nondum dispositus est.

Tamen Thomas Spreiter cum Patribus suis de hac quaestione communicare non desiit et propter omnes dubitationes¹³ ad conclusionem pervēnit fines

9 Cfr ex. gr. Jahresbericht der Berliner Missionsgesellschaft 89, 1913, p. 102; Julius RICHTER: Geschichte der Berliner Missionsgesellschaft. Berlin 1924, p. 673.

10 Ad hunc conventum in commercio epistulari, quod sequebatur, et in memorandis saepius recurrebatur.

11 Martinus [Martin] Klamroth (1873-1919) studio theologiae finito anno 1899^o Berolinensi Consociationi Missionariae se adiunxit atque anno 1900^o missionarius in Africam Orientalem missus est. Anno 1905^o ut repraesentans consociationum missionarium euangelicarum in Africa Orientali operantium sodalis Concilii gubernii electus est. Inde ex anno 1907^o erat superintendens Berolinensis synodae Usaramo. Vitā functus est anno 1919^o in urbe Daressalamensi ut capitvus belli, quod voluntarius participaverat. - Cfr Thorsten ALTENA: «Ein Häuflein Christen mitten in der Heidenwelt des dunklen Erdteils.» Zum Selbst- und Fremdverständnis protestantischer Missionare im kolonialen Afrika 1884-1918. Münster 2003, pp. 153 sq.

12 Thomas Spreiter epistolā die 21 m. Iun. a. 1913 ad redactionem «Berolinensium Relationum Missionarium» [«Berliner Missionsberichte»] directā (ASO, Z.1.07), quā errores in symbolā divulgatā corrigendos exhibuit, etiam de illo conventu diei 4 m. Iun. a. 1912 rettulit. Scripsit autem illā occasione solum de parte quādam contractūs sermonem fuisse atque se ipsum desideria sua atque desideria missionarium suorum protulisse. Manifestum tunc erat Carolum Axenfeld vota stationis Ifakara (vide supra argumenta P. ris Iosephi Damm) directe refutavisse et ad dubitationes stationum Kwirot atque Tosamaganga responsa non satis certa dedisse, ex quibus episcopus ea quōque reiectum iri conclusit. Uti ex relatione Thomae Spreiter die 12 m. Febr. a. 1913 generaliter ad acta diurna Germanica missā apparet (ASO, Z.1.07), Carolus Axenfeld etiam maiorem extensionem Benedictinorum in planitie Ulanga concedere noluit. (Hoc scriptum pro actis diurnis compositum erat, ut fortasse divulgaretur, id quod factum esse non videtur.)

13 Non solum P. Iosephus Damm contra hunc contractum se verterat, sed praeter alios etiam P. Severinus Hofbauer, Superior stationis Tosamaganga, propter scholas ab indigenis petitas contra contractum sententiam suam protulerat. Cfr Thomae Spreiter memorandum

praecogitatos progressui futuro missionis Benedictinae fore inopportunos. Praeterea nova posulata missionaria interea exoriebantur. Haec omnia episcopum Thomam Spreiter adduxerunt, ut die 7^o m. Aug. a. 1912^o Carolo Axenfeld epistulariter explicaret se fines propositos non iam accipere valere.¹⁴ Causas suas, cur se retraxisset, Thomas Spreiter sub duobus aspectibus exposuit. Nam unā ex parte explanavit homines, qui emigraverant, atque incolas, qui in fluminis insulā Kikodja habitaverunt, scholam erexisse magistrosque desiderare, alterā ex parte missionarios stationis Ifakara alium limitem exoptare¹⁵ atque stationem missionariam Tosamaganga ad labores suos apud principem Mtaki reverti velle. Haec omnia secundum fines contractūs propositi anni 1910ⁱ fieri non potuissent.

Episcopo ergo agebatur de possibilitate extendendi, quā Benedictini ad tales locos ire possent, quo vocati sunt, id est ubi ab indigenis rogabantur, ut scholas conderent, sed etiam ei agebatur de condicione, quā scholae iam existentes servarentur. Praeterea Thomas Speiter ostendit progressūs factos esse, qui inter consultationes cum Protestantibus exorti erant et qui cum desideriis indigentisique indigenarum cohaerebant. Itaque scripsit: «*Cum condiciones sint fortiores homine, progressus continuabatur.*»¹⁶ Hanc sententiam singillatim confirmavit argumentis, quibus dixit incolas insulae Kikodja urgerent scholas, id est magistros rogavisse, similiter principes regionis fluvii Kihanzi scholas petivisse, quas tantummodo ab Benedictinis habere voluerunt, denique principem Mtaki magistros suos pristinos iterum habere desideravisse. Has rogationes saepe prolatas indigenarum Thomas Spreiter nunc sequi debere putavit, cum «*verbum Dei non sit alligatum*». Hōc significat euangelizationem atque generale mandatum missionis non posse impediri finibus regionalibus. Episcopus tamen expressis verbis exposuit se ad hanc explicationem officialem se obligatum fuisse sensisse et diuturnam protractionem contractūs definitivi atque factum, quod primus contractus diei 6ⁱ m. Oct. a. 1910^o ab Protestantibus non esset agnitus, hanc renuntiationem suam adhuc permittere. Sed praeterea affirmavit - et etiam hōc est magni momenti - se pariter ac

die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium Daressalamense directum (ASO, Z.1.07).

14 Cfr Thomae Spreiter epistula die 7 m. Aug. a. 1912 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, A.7.1.07).

15 Causas huius desiderii P. Iosephus Damm iam antea explicuerat.

16 Thomae Spreiter epistula die 7 m. Aug. a. 1912 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07). Sententia originaliter Theodisca. - Cfr supra similis adnotatio in Caroli Axenfeld epistula diei 12 m. Dec. a. 1911 (ASO, Z.1.07).

antea in eo perseverare missiones iuxta invicem pacifice laborare posse.¹⁷

Hac renuntiatione episcopi propositum contractūs anno 1910^o instigatum et etiam sequentia conamina eiusdem modificandi reddita erant obsoleta.¹⁸ Ea, quae decreverat, Thomas Spreiter scilicet etiam missionariis suis in variis stationibus versantibus communicavit, ut scirent condiciones terminis circumscriptas contractūs praecogitati non iam exstare.

Carolus Axenfeld hōc cursū rerum non fuisse gaudio excitatus certe intellegibile est, cum Protestantium hi fines intererant, ut aemulationem satis fortem catholicae missionis reprimerent.¹⁹ Tamen reactio vehemens Caroli Axenfeld, quae statim post annuntiationem atque explicationes Thomae Spreiter sequebatur, est notabilis. Nam responso suo die 12^o m. Sept. a. 1912^o misso idem scripsit de «*stupore suo dolenter ferendo*», quod ab episcopo «*immediate ante colloquium constitutum derelictum est fundamentum invicem concessum et a nobis servatum omnium usque nunc factarum consultationum, nempe agnitio statūs quo ante, qui valeret usque ad novam lineam finium constitutam.*»²⁰ Locutio, quae est «fundamentum derelictum» hōc locō spectat ad nonnullas scholas, quae ab statione Tosamaganga conditae erant.²¹ Carolus Axenfeld atque missionarii protestantici hunc in modum

17 Scitū digna est adnotatio manū scripta, quam Thomas Spreiter copiae huius epistulae, quam ad Patres suos direxit, subiunxit. Scripsit enim haec: «*Quaeso hunc in modum cautionem adhibere, non ultra progredi, sed ea firmare atque servare, quae semper ut fines voluistis.*» (ASO, Z.1.07). Sententia originaliter Theodisca. - Hōc mandatō monstratur opprobrium deinde ab Protestantibus prolatum Benedictinos consulto atque modo praedeliberato in regionem protestanticam sic dictam irruisse non omnino esse validum.

18 Cfr Soltan SCHÄPPI: Die katholische Missionsschule im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, p. 199. - Soltan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen des Tanganika-Gebietes. Oberginningen 1935, p. 89 ad Thomae Spreiter epistulam diei 7 m. Aug. 1912 referens falso scribit episcopum eādem contractum diei 4 m. Iun. a. 1912 renuntiavisse. Talis vero contractus illius diei non exstitit, quia illo die solum consultatio inter Thomam Spreiter et Carolum Axenfeld in urbe Daressalamensi locum habuerat.

19 Exemplum huius perceptionis etiam invenitur in Caroli Axenfeld relatione visitationis anni 1912ⁱ, ubi de condicione post bellum «Maji» nuncupatum scripsit haec: «*Inde ex illo tempore aemulationem quōque molestam missionis catholicae habuimus.*» (Karl AXENFELD: Visitationisbericht ... Verba relata secundum Iulium RICHTER (1924), p. 682, cum ibidem tota relatio Caroli Axenfeld exhibeatur.) - Sententia originaliter Theodisca.

20 Caroli Axenfeld epistula die 12 m. Sept. a. 1912 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.07). - Textus originaliter Theodiscus.

21 De his scholis conditis infra agetur.

contractum ruptum esse putaverunt.²²

Hōc locō paulo subsistamus et duo puncta breviter attingamus oportet, quibus posterior cursus dissensionum dirigitur et quae sunt fudamentum quoddam accusationum a missione Berolinensi prolatarum. Una ex parte audimus de termino, qui est «status quo ante». Quid īdem significat? Vel quid Thomas Spreiter et Carolus Axenfeld eum significare intellexerunt? Significatione propriā hōc terminō agitur de statū quōdam, qui erat ante eventum posteriorem. Hōc in casū dicerentur haec: status, qui ante propositum contractūs anni 1910ⁱ atque eius fines praecogitatos vigeat (ergo status contractuum annorum 1906ⁱ et 1909ⁱ). Sic Thomas Spreiter hunc terminum etiam intellexerat.²³ Perceptionem contrariam Carolus Axenfeld habuit. Īdem enim putavit «statum quo ante» significare fines in contractū anni 1910ⁱ propositos, id est existimavit hos fines iam esse respiciendos.

Secundum punctum est opprobrium «contractūs ruptī». Hic plures quaestiones ponendi sunt, nempe praeter alia hae: Estne contractus ab utrāque parte nondum agnitus, de quo ulterius disputatur, per se validus? Licetne ex consultationibus se retrahere an aliquis obligatus / coactus est, ut contractum praecogitatum omni modo iungat?²⁴ Potestne contractus quidam rumpi, qui ratus nondum habetur? Num autem unus ex prioribus contractibus, qui revera rati habiti erant, frangebatur, decursū sequentis inquisitionis invenire conamur.

Sed tota res magis intricata fit. Carolus Axenfeld in epistolā suā diei 12ⁱ m. Sept. a. 1912ⁱ saltem postulaverat, ut celerrime conventus fieret «*ad conflictationem perniciosam praecavendam*». Tamen īdem ex causis temporis

22 Hōc locō in epistolā iam annuntiatur missionarios protestanticos ab omni respectū priorum pactionum se liberatos esse existimare.

23 Cfr. ex. gr. Thomae Spreiter epistula die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium Daresalamense missa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 12 m. Febr. a. 1913 ad acta diurna Germanica directa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 21 m. Iun. a. 1913 ad redactionem «Berolinensium Relationum Missionariorum» [*Berliner Missionsberichte*] missa (ASO, Z.1.07).

24 Simplex exemplum est hōc: Si quis domum emere vult, consultationes de hac emptione cum venditore inire solet, contractum cum eodem iungendum praeparat. Deinde, antequam contractus subscriptus est, aliter deliberat et ab emptione recedit. Estne ille propter consultationes praevias obligatus hanc domum tamen emere?

aliarumque obligationum fieri non potuit.²⁵ Carolo Axenfeld die 30^o m. Sept. a. 1912^o respondens Thomas Spreiter denuo affirmavit se in condicione, quā confessiones pacifice invicem operarentur, perseverare,²⁶ tamen opprobrium contractūs ruptī refutavit, cum contractus ratus habitus non exstaret. Sed deinde aliquid protulit, quod postea Protestantibus ansam opprobriorum prae-buit. Scripsit enim: «*Rectum autem est «statum quo ante» non esse retentum. Haec est sequela condicionum, quae saepissime fortiores se prae-bent quam conventiones theoreticae.*»²⁷ Hōc enuntiatiō de «condicionibus fortioribus» significavit illas scholarum foundationes, quae principibus Africanis rogantibus sunt factae.²⁸

Sed aliud punctum maioris momenti, quo apud missionem Berolinensem perturbatio evocata est, erat in eo, quod episcopus exposuit se modo indirecto²⁹ scriptum ex urbe Roma accepisse, quo manifestaretur Congregationem de Propaganda Fide pacificam coexistentiam cum Protestantibus quidem desiderare, sed contractūs de finibus constituendis non probare.³⁰ Itaque

25 Thomas Spreiter in epistulā die 30 m. Sept. a. 1912 ad Carolum Axenfeld directā (ASO, Z.1.07) exposuit se propter suos terminos temporales conventui illo tempore, quod Axenfeld indicaverat, adesse non valere, cum epistula Caroli Axenfeld nimis sero allata esset. Scitū dignum est Carolum Axenfeld ei hōc non credidisse, et in posterum ei opprobrio dedit eum hunc conventum neglexisse. Tamen ipse Christiani Schumann potentiam deficientem ad contractum iugendum iam antea eodem modo explicaverat, nempe quia res cursuales nimis sero allatae essent.

26 Etiam Soltan SCHÄPPI (1935), p. 89; Soltan SCHÄPPI (1937), p. 199 exponit Thomam Spreiter hanc condicionem compluries affirmavisse.

27 Thomas Spreiter epistula die 30 m. Sept. a. 1912 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07). - Sententia originaliter Theodisca.

28 Hic in epistulā suā iam explicuit Benedictinis nullam causam esse, quā principes, qui compluries de scholis rogaverant, repellerent. Ut exemplum exhibuit principem Mtaki. Sed etiam agitur ex. gr. de principibus Mugwadila, Makua et Undole. Decursū autem temporis plures casūs huiusmodi evēnerunt.

29 Hoc significat alium episcopum missionarium scriptum ad ipsum directum etiam ad Thomam Spreiter transtulisse.

30 Generaliter hanc quaestionem tractat Theodorus GRENTRUP: Ius Missionarium. Steyl 1925, § 14, pp. 109 sqq. etiam ad contractum inter Consociationem Missionariam Berolinensem et Apostolicum Vicarium Daressalamensem referens. Ibīdem autem primo explicat secundum perceptionem catholicam «*ius praedicandi veram fidem*» ad totum mundum atque eius singulas partes pertinere (talīs vero perceptio etiam Protestantibus est). Itaque declaratio catholicos in quibusdam partibus mundi evangelium non iam praedicare velle sub iure divino est per se invalida. Tamen «*existere possunt causae legitimae excusantes, ut propagatio fidei per aliquod tempus vel aliquibus locis*

- sic scripsit episcopus - se ipsum contractūs inire non iam posse.³¹

Episcopus ergo bis futuras consultationes de contractū quodam renuntiavit, antequam idem definitive ratus habebatur. Unāquāque autem vice causas, quibus ad hanc sententiam adductus esset, explicuerat.³²

intermittatur». Ad tales causas pertinet ex. gr. inopia missionariorum. Nam «*sensus mandati divini non est, ut uno tempore simul omnibus gentibus fides vera annuntietur*», sed «*ut successive fiat*» (p. 112). Locus vero magni momenti est hic: «*Ne autem tali declaratione et subsequenti contractu stricta obligatio pro posse evangelizandi verbum Dei laedatur, haec requiruntur: a) ut Vicarius Apostolicus vere in impotentia morali versetur propagandi fidem catholicam toto Vicariatu simul; b) ut contractus nonnisi ad tempus conficiatur scl. usque dum impotentia evangelizandi ex parte Vicarii Apostolici cessaverit. Solum studium pacifice separandi catholicos ab acatholicis non est causa sufficiens ad talem contractum ineundum.*» (p. 113) Cum autem agatur de quaestione, num tales contractūs sint contra ecclesiasticum ius commune, Theodorus Grentrup refert ad can. 215 § 1, ubi dicatur «*divisionem et novam circumscriptionem Vicariatūs ad solum Romanum Pontificem pertinere*». Et scribere pergit: «*Quapropter Vicarius Apostolicus temporarie dividens suum territorium cum missionariis protestanticis non quidem peccat contra textum canonis 215, sed finem eius aliquo modo illusorium reddit.*» (p. 114) Conclusionem autem trahit dicens «*melius esse Vicarios Apostolicos ab ineundis tractatibus de territorio dividendo cum missionariis protestanticis omnino abstinere*». (p. 115). - (Sententiae originaliter Latinae).

31 Hōc in conexū non est nullius momenti hic significari contractum scripto modo exaratum. Nam Thomas Spreiter secundum ea, quae enuntiavit, de conventionibus taciturnis non dubitavit. *Cfr* ex. gr. similia dicta in eius epistula die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07).

32 Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch Ostafrika 1890-1914. Berlin 1971, p. 343, adn. 113 adnotat in conexū contractuum, quos Congregatio de Propaganda Fide non probavit, haec: «*Cogitatio reprimi non potest episcopum Spreiter contractibus quietem instituere studens atque eā de causā a missionariis suis propriis - imprimis in statione Peramiho - acri censurā subiectus factus est victima fallaciarum apud Congregationem de Propaganda Fide compositarum.*» (Sententia originaliter Theodisca). - Haec interpretatio mihi videtur esse valde dubia, cum etiam Iohannes Ioachim Niesel - uti ipse confitetur - nullum testimonium afferre valet. Intellegi enim non potest, cur Congregatio de Propaganda Fide generaliter de talibus contractibus sententiam suam afferat tantummodo eā de causā, quia fortasse post tergum Vicarii Apostolici eius missionarii sunt questi, et deinde contractūs impediatur, cum sententiam suam de hoc themate episcopo per ambagines afferendam curret. Praeterea Thomas Spreiter fuisse ultimus, qui talem progrediendi modum missionariorum suorum sine commentario sustinisset. - Karl AXENFELD: Der Vertragsbruch der Benediktiner in Deutsch-Ostafrika. In: Evangelische und katholische Mission in den deutschen Kolonien. Berlin 1913, p. 5 non satis specificè commemoraverat Patrem quandam gloriari «*se suum attribuisse, ut contractus in irritum caderet*». Fortasse Carolus Axenfeld hanc actionem significare conatus est. Cyrillus Wehrmeister in epistulā die 30 m. Apr. a. 1913 ad


Sed reactio missionis Berolinensis non diu expectanda erat. Nam satis celeriter querelis atque accusationibus ex. gr. Christianus Schumann non solum ad catholicas stationes missionarias Tosamaganga, Kwirow atque Kiberege-Ifakara se vertit, sed etiam ad Germanicas gubernii stationes militares Iringa atque Mahenge. Insuper inspector missionarius Carolus Axenfeld, qui illo tempore adhuc in itinere suo visitationis in Africā versabatur, statim contactum non solum cum iisdem stationibus, sed etiam cum ipso gubernatore atque cum imperiali officio coloniali in Germaniā quaesivit, ut accusationes suas proferret.

Quā autem re - praeter generalem frustrationem, quā contractus secundum eius desideria non esset iunctus - Berolinensis Consociatio Missionaria adducta est, ut has querimonias officiales exhiberet? Quae erant argumenta accusationum? Singula puncta querimoniarum, quae postea iterum iterumque iterabantur, sed etiam extendebantur, manifestantur ex scripto Caroli Axenfeld, quod mense Octobri a. 1912^o ad imperiale gubernium Daressalamense direxit.³³ Primo ad consultationes de contractū anni 1910ⁱ respiciens idem episcopo opprobrio dat eum, quamquam conventio de «statū quo ante» facta esset, assensum esse fines pluribus locis neglegi. Thomam Spreiter huic «irruptioni» non solum assensum esse, sed eam etiam approbavisse, cum eodem tempore Protestantes credere sivit iunctionem contractūs fore. Hunc in modum Carolus Axenfeld episcopum gerendi modum perfidum incusavit. Tamen hac epistolā certae scholae Benedictinorum ut obiecta offensionis nominantur. Unā ex parte agebatur de scholis apud principes Undole atque Makua, quae ad circumiecta stationis missionariae Kwirow sive Kiberege-Ifakara pertinebant. Carolus Axenfeld Benedictinis opprobrio dedit eos contra contractum anni 1909ⁱ scholas suas apud principem Undule retinuisse et scholā apud principem Makua fundatā eundem contractum consulto violavisse. Quod Benedictini dicerent se ab principibus ad scholas condendas esse vocatos, «*esse nihil nisi ambages*». Ira Caroli Axenfeld excitata etiam est eā de causā, quod Benedictini in «Berolinensi regione missionaria»

Aloisium zu Löwenstein directā (ASO, Z.1.07) ad tales deliberationes respondit se opinionem, quā epistula Congregationis de Propaganda Fide a Patribus stationis Tosamaganga instigata esset, esse satis simplicem existimare.

33 Cfr. Caroli Axenfeld epistula die 18 m. Oct. a. 1912 ad gubernium missa (ASO, Z.1.07).

talibus locis scholas condebant, de quibus dixerunt esse loca non occupata, de quibus tamen Carolus Axenfeld affirmavit esse «loca praedicandi» Berolinensium. Sed etiam catholicae stationi missionariae Tosamaganga oppro-



Delineatio, quā stationes ab Protestantibus vituperatae indicantur.
[ASO, Z.1.07]

brio dedit eam ex improvise scholis condendis, imprimis apud principem Mugwadila, violenter in regionem protestanticam se inserere. Inde conclusit omnibus his foundationibus agi de consilio praecogitato inter stationes Kwiwo et Tosamaganga constituto, ut in territorium missionarium Berolinensium irrumperent. Sequela eius cogitationum itaque erat haec: «Cum nunc episcopus recurrens ad decretum Romanae Congregationis de Propaganda Fide, quā eadem contractūs limitum non probat, contractum cum missione Berolinensi recuset et scholas ab missione suā in territorio Berolinensi conditas comprobet, hunc in modum bellum apertum inter missiones indic-

tum est.»³⁴ Missio Berolinensis itaque propter se gerendi modum Benedictinorum esse in statu necessariae defensionis propriae et pro omnibus sequelis inde exoriundis Benedictinos fore responsables.

Spectemus iam hic nonnulla opprobria Caroli Axenfeld paululo diligentius. Primo autem inquirimus breviter in illas res, quae aliquatenus faciliores explicatū esse videntur. Hoc spectat imprimis ad scholam, quae apud principem Mugwadila instituta erat. Haec schola principe rogante fundabatur, postquam episcopus a consultationibus ad contractum anni 1910ⁱ pertinentibus recessit.³⁵ Cum vero contractus de finibus praedeliberatis non exstaret, territorium generaliter iterum aperta erat, scilicet regionibus exceptis, quae conventionibus contractuum revera iunctorum tangebantur. Sed problema fundamentale hac in scholā aliisque in scholis conditis, quas Benedictini post diem 7^{um} m. Aug. a. 1912^o instituerunt, erat in eo, quod missio Berolinensis numquam agnovit consultationes quoad contractum esse finitas, sed e contrario contractum anni 1910ⁱ ratum habitum putaverunt. Itaque Protestantes semper de sua «*regione contractū reservata*» locuti sunt.³⁶ - Alia quaestio sunt termini, qui sunt «locus praedicandi» atque «missionaria actio migratoria».³⁷ Cum talia loca non fuerint definita neque signata, intellegi potest eadem ut missionarie non occupata percepta esse, imprimis quia principes Africani, cum scholas ab Benedictinis petiverunt, dixerant Protestantes ibidem missionem non exercere sive eos, etiamsi rogati erant, magistros non

34 Caroli Axenfeld epistula die 18 m. Oct. a. 1912 ad gubernium missa (ASO, Z.1.07). - Sententia originaliter Theodisca.

35 De hac re *cfr* explicationes P.ris Severini Hofbauer epistolā die 20 m. Dec. a. 1912 ad stationem militarem Iringa datā (ASO, Z.1.07).

36 *Cfr* ex. gr. Caroli Schumann epistula die 8 m. Oct. a. 1912 ad stationem Tosamaganga missa (ASO, Z.1.07); epistula stationis militaris Iringa die 17 m. Oct. a. 1912 ad stationem Tosamaganga directa (ASO, Z.1.07); Iulii Oelke epistula die 25 m. Dec. a. 1912 ad stationem Tosamaganga missa (ASO, Z.1.07); Christiani Schumann epistula die 5 m. Ian. a. 1913 ad Eustachium Fuchs missa (ASO, Z.1.07); epistula stationis militaris Mahenge die 7 m. Ian. a. 1913 ad stationem Kiberege-Ifakara directa (ASO, Z.1.07). - Talia decursū temporis ita extendebantur, ut Berolinensis missionarius Iohannes Kallweit diceret totam regionem Masagati esse suam propriam et se unumquemque liberum, unumquemque adultum esse possessionem suam existimare et se hunc in modum etiam agere (Pankratius Pfaffel: Zum Stand der Mission, m. Iun. a. 1914 (ASO, Z.1.07)). De totā hac condicione *cfr* infra, cum agatur de extentione Benedictinā in regione Masagati.

37 Sic ex. gr. in epistolā stationis militaris Iringa die 13 m. Dec. a. 1912 ad stationem Tosamaganga directā (ASO, Z.1.07).

misisse.³⁸ Etiam illo postulato in episulā exhibito, quo «*auctoritas politica progrediendi modum missionis catholicae debitā ratione coerceat*»,³⁹ politicae realitates non respiciuntur, cum regimini - uti iam commemoratum est - ex causis legum (etiam internationalium) ad talia facienda nullum ius erat.

Magis intricata condicio tamen fit, cum agatur de scholis apud principes Undole atque Makua conditis. Nam Carolo Axenfeld Thomae Spreiter opprobrio dedit Benedictinos his foundationibus contractum anni 1909ⁱ rupisse. Cum ille contractus revera ratus habebatur, haec accusatio aliam qualitatem habuit.

Revera illae duae scholae post limitem sitae erant, qui contractū anni 1909ⁱ constitutus erat, et eadem mense Novembri sive mense Decembri a. 1909ⁱ instituebantur. Tamen ille quōque casus non omnino simplex est. Nam Thomas Spreiter etiam eā de causā praedeliberatos fines contractūs anni 1910ⁱ non iam accipere voluit, quia rogationes principum Africanorum, qui explicite scholas catholicas petiverunt, sequi voluit neque principes ad Protestantes mittere coactus esse voluit. Ad tales principes pertinebant praeter alios Makua atque Undole. Praeterea apud ipsos vigeat condicio specialis, quā schola pro principe Undole primo in orientali parte fluvii Kihanzi - ergo in regione neutrali - condita erat. Deinde ille princeps ipse in territorio suo scholam aedificaverat, ad quam curandam scilicet magistros quōque catholicos desideravit. Sed hanc scholam eā de causā instituerat, ut illis liberis, qui primo scholam in ripā orientali fluvii Kihanzi sitam frequentaverant, faciliorem aditum atque breviorē viam praebere voluit.⁴⁰

38 Aliud punctum in Caroli Axenfeld scripto diei 18 m. Oct. a. 1912 est Thomam Spreiter ipsum proposuisse, ut protestantica statio missionaria «Pommern» magis in propinquo locorum Himbo atque Iringa constitueretur, quā de causā eius querela de hac re «*non serio percipienda*» esset. Tamen episcopus iam in epistulā die 29 m. Aug. a. 1910 ad Carolum Axenfeld directā (ASO, Z.1.07) rogaverat, ut Protestantes nimiam propinquitatem loci Himbo vitarent. Quā de causā Carolus Axenfeld tunc putaverit eum proposuisse, ut statio quaedam protestantica in propinquo institueretur, itaque non est vere intellegibile. Ipse Thomas Spreiter postea suspicatus est (cfr Thomae Spreiter epistula die 18 m. Dec. ad gubernium directa (ASO, Z.1.07)) Carolum Axenfeld, quia scientia locorum ei deerat, ipsum falso intellexisse.

39 Christiani Schumann epistula die 18 m. Oct. a. 1912 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07).

40 Cfr Cyrilli Wehrmeister epistula die 19 m. Apr. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein missa (ASO, Z.1.07); Cyrilli Wehrmeister epistula die 9 m. Iun. a. 1913 ad Iosephum Schmidlin directa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 10 m. Aug. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein directa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 8 m. Dec. a. 1913 ad Vilelmum Henricum Solf missa (ASO, Z.1.07).

Quoad scholam apud principem Makua res paulo aliter se habuit. Etiam ille scholas a Benedictinis petiverat, et eas - ut videtur - iam anno 1907^o,⁴¹ quas tamen illo tempore nondum accepit. Deinde Makua liberos suos ad institutiones scholares accipiendas in scholam catholicam stationis missionariae Kiberege misit. Tamen petitionem suam de scholā propriā iteravit et etiam asseveravit se, nisi in territorio suo scholam catholicam acciperet, unā cum tribū suā in regionem catholicam transmigraturum esse.⁴² Denique ergo illa schola in territorio principis Makua instituebatur.⁴³

His explicationibus tamen illa res nondum plene et plane soluta est. Itaque in hanc quaestionem iterum incumbendum erit.

Sed querela Caroli Axenfeld, quam ad gubernium Daressalamense miserat, non erat unicum inceptum ex parte protestanticā. Nam imprimis superintendens Christianus Schumann querimoniis accusationibusque cumulatis, quibus eadem argumenta erant, se convertit et ad Benedictinas stationes missionarias Tosamaganga atque Kwirot et - quod gravius erat - ad Germanicas stationes militares illius regionis disputatae Iringa et Mahenge. Itaque officiales Germani hunc in modum illis dissensionibus tangebantur atque ut se immiscerent necessarium esse putaverunt. Sic praepositus stationis militaris Iringa von Grawert scripsit querelas Christiani Schumann secutus mense Octobri a. 1912ⁱ stationem missionariam Tosamaganga scholas suas, quas in «territorio Berolinensibus contractū reservato» condiderant, retrahere debere.⁴⁴


41 Cfr epistula Iosephi Damm die 12 m. Febr. a. 1913 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07).

42 Cfr Cyrilli Wehrmeister epistula die 19 m. Apr. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein missa (ASO, Z.1.07); Cyrilli Wehrmeister epistula die 30 m. Apr. a. 1913 ad Aloisium zu Löwenstein data (ASO, Z.1.07); Cyrilli Wehrmeister epistula die 13 m. Maii a. 1913 ad Franciscum Carolum Hespers directa (ASO, Z.1.07); epistula Cyrilli Wehrmeister die 9 m. Iun. a. 1913 ad Iosephum Schmidlin missa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 10 m. Aug. a. 1913 ad Vilelmum Henricum Solf directa (ASO, Z.1.07).

43 Soltan SCHÄPPI (1935), p. 85; Soltan SCHÄPPI (1937), p. 196 scribit Benedictinos inde ab annis 1912^o et 1913^o talibus petitionibus principum Africanorum, quod attinebat ad scholas, paene ubique cecisse. Sed non commemorat talia plerumque denique consultationibus de contractū anni 1910ⁱ mense Augusto a. 1912ⁱ finitis facta esse.

44 Cfr epistula praepositi von Grawert die 17 m. Oct. a. 1912 ad stationem Tosamaganga directa (ASO, Z.1.07). - Praeterea idem die 4 m. Dec. a. 1912 ad stationem Tosamaganga (ASO, Z.1.07) scripsit propter rixas inter magistros exortas principes Africanos mandatum accepisse, quo omnes institutiones scholares sisterent; simile est mandatum praepositi von

Etiam Carolus Axenfeld, qui adhuc in Africā Orientali versabatur, denuo stationem militarem Mahenge adiit et de magistris ex statione Tosamaganga missis questus est, quā re et labores missionis protestanticae impedirentur et conflictationes inter indigenas essent timendae. Hōc questū stationis militaris Iringa praepositus von Grawert adducebatur, ut sub respectu nonnullorum principum nominatim allatorum, quibus scholae catholicae vi impositae essent, stationem Tosamaganga graviter admoneret atque postularet, ne alii magistri plures mitterentur. Nam - sic erat argumentum - «*securitas atque ordo in regione magistris ex statione Tosamaganga continuo in territorium missionis evangelicae missis perturbarentur.*»⁴⁵ Stationis missionariae Tosamaganga Prior P. Severinus Hofbauer relationibus, quomodo et quando singulae scholae disputatae essent conditae, demonstrare quidem valuit easdem demum institutas esse, postquam consultationes de contractū finitae sunt,⁴⁶ sed manifeste sine effectū definitivo hōc fecit, sicuti ex opprobriis etiam postea iteratis apparet.



P. Severinus Hofbauer.
[ASO, Archivum imaginum.]

Cum de his problematis agatur, adnotatio quaedam scitū digna atque maioris momenti afferenda esse videtur, quam P. Severinus Hofbauer in fine explanationum suarum protulit. Eidem enim agebatur de missionariorum (utriusque confessionis) modo se gerendi principaliter exhibendo, quem sequi deberent, ut difficultates vitarent, et cui consilio ipse pareret, ut dixit. Scripsit enim haec: «*I. Adeas eum, qui te vocat atque doceas eum, cum te postulare*

Grawert die 2 m. Nov. a. 1912 datum (ASO, Z.1.07), quo principi Mugwadila tam diu liberos ad scholam mittere non liceret, usque dum missiones consensum invenissent.

45 Epistula praepositi von Grawert die 13 m. Dec. a. 1912 ad stationem Tosamaganga directa (ASO, Z.1.07). Ibīdem etiam legitur Carolum Axenfeld ad argumenta missionis catholicae, quibus dictum est Berolinenses in locis nominatis nullas scholas habere, respondisse «*scholas illis in locis partim quidem nondum exstitisse, sed pluribus principibus magistros missum iri promissum esse, omnibus vero punctis tamen missionariam actionem migratoriam esse exhibitam.*»

46 Cfr epistula Severini Hofbauer die 20 m. Dec. a. 1912 ad stationem militarem Iringa missa (ASO, Z.1.07). Ibīdem etiam agitur de scholis apud principes Mugwadila atque Mtkai, quae ab initio vituperabantur.

*ei liceat. 2. Si quis est liber et idem tibi placet, eum petas; si te accipit, res bene se habet, si te non vult, tunc eius pernicies non est tua culpa (qui credit ...); itaque de voluntate pagani dependet, cui vis non est inferenda. 3. Si quis iam curatur atque hac curā contentus est, noli eum molestare.»*⁴⁷ Haec principia sunt vere notabilia atque utiles. Sed esse potest, ut etiam ne omnes missionarii Benedictini quidem sine exceptione atque semper eadem sequerentur.

Duae autem res hōc in conexū notabiles sunt. Unā ex parte Protestantes opinione suā frimiter adhaerebant contractum exstare atque ratum haberi et hunc in modum totam regionem disputatam esse eorum possessionem. Ab hac opinione etiam numquam discesserunt. Alterā ex parte epistulis stationis militaris Iringa manifestatur eius praepositum von Grawert condicionibus non inquisitis perceptionem missionis Berolinensis suscepisse eamque secutum esse. Ille von Grawert nullas sympathias erga missionem catholicam sensisse videtur.⁴⁸

Alicuius momenti hic praeterea aspectus quidam est, qui ad scholas apud principes Makua atque Undole et in insulā Kikodja institutas pertinet. Agitur enim de territorio, quod in parte occidentali fluviorum Ruhudje atque Mnjera coniunctorum situm est et quod et in proposito contractūs anni 1910ⁱ et partim - quod attinet ad insulam Kikodja - in contractū anni 1909ⁱ indicatur. Nam superintendens Christianus Schumann querimoniis suis de Benedictinis etiam stationem militarem Mahenge adierat. Quae itaque die 7^o m. Ian. a. 1913^o ab catholicā statione missionariā Kiberege-Ifakara postulavit, ut magistros Africanos ad principes Makua atque Undole missos retraheret.⁴⁹ Protes-

47 Severini Hofbauer epistula die 20 m. Dec. a. 1912 ad stationem militarem Iringa missa (ASO, Z.1.07). - Haec principia P.ri Severini Hofbauer hic afferuntur, quia in disputationibus quōque posterioribus iterum apparent.

48 Haec aversio praeterea apparet ex eius agendi modo postea quōque exhibito. Statio militaris Mahenge illo temporis momento magis neutraliter se gessit, id quod mutabatur, cum von Grawert ibi praepositus stationis redditus est. Cfr etiam epistula Pancratii Pfäffel die 21 m. Mart. a. 1916 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.1.07), quā de mente, quam von Grawert ostendit, evidenter atque exemplis adhibitis sermo fiebat.

49 Cfr epistula stationis militaris Mahenge die 7 m. Ian. a. 1913 ad stationem Kiberege-Ifakara directa (ASO, Z.1.07). - Hanc querimoniam Christianus Schumann epistolā diei 5 m. Ian. a. 1913 (ASO, Z.1.07) erga P.rem Eustachium Fuchs, Priorem stationis Kwirow, iam annuntiaverat. Etiam ibidem Christianus Schumann persuasionem suam manifestavit consultationibus sublati contractūs de finibus - etiam illum anni 1910ⁱ - sententiā Protestantium adhuc valere.

tantes immediate in ipsis quōque locis contra has scholas se vertisse videntur. Nam principes Undole atque Makua in statione missionariā Kwiro questi sunt de agitatione, quae a protestanticā statione principali Lupembe propter scholas apud ipsos fieret. Cum iterata opprobria protestantica proferrentur principes Africanos scholas tantummodo, quia a Benedictinis urgebantur, atque timore impulsī accipere, P. Theodosius Schall, qui illo tempore in statione Kwiro cooperabatur, vere prudenter atque prospiciens agebat illos duos principes rogans, ut ipsi in statione militari Mahenge indicarent, «*num plenā libertate scholas ab statione Ifakara habere vellent*». ⁵⁰ Illi duo principes voluntatem suam in statione militari Mahenge revera indicaverunt. Itaque responsum ex statione Mahenge allatum est notabile. Nam voluntate principum exhibitā statio Mahenge recessit a postulato, quo magistri catholici a statione missionariā Ifakara inde retrahendi essent, ⁵¹ quamquam contractus anni 1909ⁱ ibīdem notus erat. ⁵²

Hōc decretō in favorem Benedictinorum prolatō scilicet nihil dicitur de quaestione, utrum illis scholis conditis contractus anni 1909ⁱ ruptum sit necne.

Quod attinebat ad fluminis insulam Kikodja, res iterum aliter se habuit, quamvis ibi quōque dissensiones exortae essent. Secundum contractum anni 1909ⁱ haec insula ad territorium missionarium Benedictinorum pertinebat, secundum contractū propositum anni 1910ⁱ insula in territorio Berolinensium sita esset. Consultationibus mense Augusto a. 1912ⁱ renuntiatis Benedictini ibi scholam condiderunt, quamvis hōc iam antea iure eis licuis-

50 Epistula Theodosii Schall die 28 m. Ian. a. 1913 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07). - P. Theodosius Schall hac epistolā etiam rettulit principes Makua atque Undole in statione militari permissionem petere voluisse, ut in territorium missionarium stationis Ifakara transmigrare eis liceret, si statio Lupembe eos propter scholas molestare non desineret. - Eodem modo Benedictini, ut opprobriis sequentibus antecederent, etiam agebant, cum ex statione Kwiro principes Naubena atque Soliambingo, qui iam compluries magistros expetiverant, ad stationem militarem Mahenge mitterent, ut ibīdem officialiter indicarent se scholas a Benedictinis velle (*cfr* epistula stationis missionariae Kwiro die 21 m. Febr. a. 1913 ad stationem militarem Mahenge data (ASO, Z.1.07)). - *Cfr* etiam telegraphema Thomae Spreiter die 11 m. Iun. a. 1913 ad stationem Tosamaganga missa (ASO, Z.1.07), quo tale mandatum ad stationem Madibira transferendum praebet.

51 *Cfr* epistula stationis militaris Mahenge Kal. Febr. a. 1913 ad stationem Kiberege-Ifakara directa (ASO, Z.1.07).

52 In epistolā diei 7 m. Ian. a. 1913 ex statione Mahenge missā ille contractus commemorabatur.

set. Tamen haec fundatio missioni Berolinensi propter «iura» sua ex contractū anni 1910ⁱ assumpta displicuit. Itaque missionarius Berolinensis Villelmus [*Wilhelm*] Hahn ibi etiam scholam instituit, quā in re īdem nonnullas iniurias commisit, cum discipulos quōque scholae catholicae auferret. Contra hunc modum agendi deinde P. Eutachius Fuchs apud Christianum Schumann questus est.⁵³ Itaque Berolinensium modus procedendi in insula Kikodja sub variis aspectibus non erat revera iustificatus.⁵⁴

Propter accusationes missionis Berolinensis, quae spectabant ad Benedictinorum modum progrediendi non iustificatum, ipsi Benedictini in responsis atque defensionibus suis etiam nonnulla indicaverunt, quae Protestantibus opprobrio dari potuit. Magni momenti Benedictinis erat demonstrare missionem quōque Berolinensem consultationibus de contractū nondum sublatis, id est ante mensem Augustum a. 1912ⁱ, foundationes suscepisse, quae contra illum contractum anni 1910ⁱ erant vel saltem ut actiones dubiae percipi poterunt. Agebatur his in quaestionibus de statione «Neu-Pommern» appellatā, quae iam est commemorata et quae contra rogationes episcopi Thomae Spreiter die 24^o m. Iul. a. 1912^o in propinquitate loci Himbo instituebatur.⁵⁵ Praeterea Protestantes mense Iulio a. 1912ⁱ in oppido Iringa domum emerant, ex quā missionem exercere voluerunt, id quod contra paragraphum secundum praecogitati contractūs anni 1910ⁱ erat.⁵⁶ Denique mense Iulio a. 1912ⁱ statio

53 Responso suo die 5 m. Ian. a. 1913 dato (ASO, Z.1.07) Christianus Schumann praeter alia scripsit se mense Augusto a. 1911ⁱ «*contractū cum episcopo Spreiter exsecuto*» ubique in insula Kikodja atque aliis locis palam declaravisse illas regiones propter contractum pertinere ad Protestantē. Ad hoc faciendum sibi ius fuisse. - Quomodo Christianus Schumann ad cogitationem pervenerit contractum anni 1910ⁱ esse exsecutum, non est omnino intellegibile.

54 Hic casus posteriore in commercio epistulari compluries commemorabatur. Cfr ex. gr. Thomae Spreiter epistula die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07); epistula Cyrilli Wehrmeister die 29 m. Maii a. 1913 ad Carolum Axenfeld missa (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 17 m. Dec. a. 1914 ad Franciscum Carolum Hespers data (ASO, Z.1.07).

55 De hac re cfr ex. gr. Chron. Tosamaganga. m. Iul. a. 1912 (ASO, Z.2.2.04); epistula Severini Hofbauer die 2 m. Dec. a. 1912 ad stationem militarem Iringa directa (ASO, Z.1.07); Thomae Spreiter epistula die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium data (ASO, Z.1.07).

56 Iam in Chron. Tosamaganga, m. Iul. a. 1912 (ASO, Z.2.2.04) de emptione huius domūs atque de eius scopo refertur. Die enim antecedente inspector missionarius Carolus Axenfeld in itinere ad oppidum Iringa stationem Tosamaganga breviter visitaverat. Chronista hanc visitationem fuisse iniucundam percepit, cum Carolus Axenfeld ipsum

missionaria protestantica, quae «Neu-Stettin» appellabatur, condita erat.⁵⁷

Imprimis quaedam res vetustior Benedictinis in stomacho haerebat, quam iterum iterumque commemoraverunt. Nam anno 1898^o P.ri Severino Hofbauer inde ex statione Tosamaganga in loco Muhanga aliam stationem instituere in animo erat. Locum condendi iam cruce erectā signaverat atque domum aedificare coeperat, sed ad stationem Tosamaganga reverti debuit, ut adiutores materiamque acquireret. Cum non longo tempore post denuo ad locum Muhanga perveniret, ibīdem missionis Berolinensis pastor euangelicus Christophorus Bunck erat. P. Severinus Hofbauer se retraxit, ut rixas vitaret. Benedictinis autem praesertim displicuit, quod Protestantes per longum spatium temporis inde ex loco Muhanga missionem non exercuerunt neque ibīdem scholam instituerunt, sed tantummodo auxiliatorem Africanum posuerant, qui interdum vexillum Consociationis Missionariae Berolinensis subduxit.⁵⁸ Hic modus progrediendi similis erat ei, qui in loco Isofi adhibebatur et qui propter questum episcopi Thomae Spreiter denique ad contractum anni 1909ⁱ duxit. - Iam mense Decembri a. 1912ⁱ nonnullae actiones Berolinensium acciderunt, quas Benedictini non esse convenientes existimaverunt. Nam in intio mensis Decembris a. 1912ⁱ ex. gr. missionarius protestanticus Martinus Priebusch in loco Lumila contiones habuit⁵⁹ et similiter mense Decembri a. 1912ⁱ Christianus Schumann in loco Likasi scholam condidit.⁶⁰ Utraque autem actio contra contractum anni 1906ⁱ erat.

nimis saepe laudanter commemoravisset. - De emptione huius domūs *cfr* etiam Thomae Spreiter epistula die 12 m. Febr. a. 1913 ad acta diurna Germanica directa (ASO, Z.1.07).

57 *Cfr* ex. gr. epistula Thomae Spreiter die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium missa (ASO, Z.1.07).


58 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 27 m. Iul. a. 1910 ad Carolum Axenfeld directa (ASO, Z.1.07); epistula Severini Hofbauer die 20 m. Dec. a. 1912 ad stationem militarem Iringa missa (huic epistulae brevis relatio Severini Hofbauer de hoc themate die 9 m. Oct. a. 1898 facta adiuncta est) (ASO, Z.1.07); Iosephi Damm epistula die 12 m. Febr. a. 1912 ad stationem militarem Mahenge directa (ASO, Z.1.07); epistula Thomae Spreiter die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium data (ASO, Z.1.07); Cyrilli Wehrmeister epistula die 25 m. Mart. a. 1913 ad Amandum Acker directa (ASO, Z.1.07). - In Chron. Tosamaganga, 15.7.1910 (ASO, Z.2.04) commemoratur missionarios protestanticos Vilelmum Neuberg atque Iulium Oelke breviter in statione Tosamaganga versatos esse, cum essent in itinere ad locum Muhanga, cum tunc eundem diuturnius revera instituerent.

59 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium directa (ASO, Z.1.07); Iohannis Häfliger epistula die 27 m. Maii a. 1913 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.1.07).

60 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 18 m. Mart. a. 1913 ad gubernium data (ASO, Z.1.07).

Ut apparet, tota condicio variis foundationibus atque actionibus utriusque partis satis conturbata erat. Eadem decursū temporis posteriore progressū facto clarior non est reddita.


Hōc brevi conspectū praebito, qui tamen propter eventūs sequentes dilandus erit, videtur necessarium esse, ut chartam quandam geographicam aspiciamus, quā et varii fines contractuum indicantur et quā quōque stationes scholaeque catholicae atque protestanticae continentur.⁶¹ Cum huic chartae geographicae titulus est «Finium transgressio Benedictinorum», videtur



*Delineatio ad «Finium transgressionem Benedictinorum» spectans.
[ASO, Z.1.07]*

eadem originaliter a Protestantibus exarata esse. Itaque videtur secundum hanc delineationem etiam nullum dubium exstare, quin Benedictini fuissent illi, qui contractūs rupentes fines constitutos modo amplissimo transgressi sunt. Sed sicuti iam ex explicationibus factis apparuit, tota res magis intricata atque multiplex erat. Hac vero tabulā praeterea solum loci indicantur neque

61 Delineatio ex archivio Ottiliensi deprompta, cuius auctor non innotuit, videtur exemplum praeuisse chartae geographicae, quae invenitur in opere, q.e. Soltan SCHÄPPI (1935), inter p. 88 et p. 89; Soltan SCHÄPPI (1937), inter p. 198 et p. 199.



«Finium transgressio Benedictinorum».
[Soltan SCHÄPPI (1935), inter p. 88 et p. 89;
Soltan SCHÄPPI (1937), inter p. 198 et p. 199.]

terminos temporales. Itaque iam Soltanus Schäppi recte adnotat aliquem «sine respectu temporali in errorem induci» posse.⁶² His verbis dicitur sine indiciiis, quando singulae stationes scholaeque conditae sint, talem chartam geographicam non esse revera significantem.

Dissensiones rixaeque ergo continuabantur et etiam eā de causā acriores redditae sunt, quia missio Berolinensis hanc rixam in forum publicum translulit atque in Germaniā symbolas in actis diurnis divulgandas curavit, quibus solum eius perceptio conexum exhibebatur.⁶³ Prima symbola iam divulgata est die 17^o m. Dec. a. 1912^o, eandem sequebantur eodem mense plures aliae

62 Soltan SCHÄPPI (1935), p. 88; Soltan SCHÄPPI (1937), p. 198.

63 Siegfried HERTLEIN: Wege christlicher Verkündigung. Münsterschwarzach 1983, 1, p. 163 commemorat has symbolas breviter scribing «denique rixam in forum publicum translata esse». Inde tamen non apparet, quis hanc rem instigaverit et quales effectūs inde exorti sint.

symbolae et hoc inceptum talisque actio etiam anno 1913^o continuabatur.⁶⁴ Generalia autem argumenta illarum symbolarum⁶⁵ erant eadem ac accusationes missionis Berolinensis atque Caroli Axenfeld. Agebatur ergo de contractū a Benedictinis rupto, de «statū quo ante» neglecto, de se gerendi malo modo catholicorum usque ad opprobrium, quo Sancta Sedes illam rixam instigavisset. Talibus vero impetibus vehementibus missioni Berolinensi contigit, ut magnam partem civitatis Germanicae speciatim contra Benedictinos et generatim contra catholicos commoveret et semet ipsam ut victimam ostenderet.⁶⁶ Scopus huius actionis praeter alia erat in eo - sic fortasse

64 Cfr ex. gr. Westdeutsche Rundschau, nr 296, 17.12.1912: «Ein benediktinischer Übergriff der katholischen Mission in Deutsch-Ostafrika»; Der Reichsbote, nr 296, 18.12.1912: «Ein Einbruch der Benediktiner in evangelisches Missionsgebiet in D.O.A.»; Hamburger Nachrichten, nr 595, 19.12.1912: «Römische Anmaßung in Deutsch-Ostafrika»; Neueste Nachrichten Braunschweig, nr 298, 20.12.1912: «Ein Kulturkampf in Afrika»; Allgemeine Zeitung Chemnitz, nr 296, 21.12.1912: «Römische Verträge»; Tägliche Rundschau Berlin, nr 39, 24.12.1912: «Kulturkampf auch in Afrika»; Evangelisches Missions-Magazin Basel, Febr. 1913: «Römisch-katholische Vertragsverletzung»; Der Missionsfreund, nr 2, Febr. 1913: «Kurze Nachrichten aus der Berliner Mission». (Hae symbolae sive descriptae sive copiatæ in archivo Ottiliensi inveniuntur (ASO, Z.1.07)). - Quod in duabus symbolis terminus, qui est «conflictatio culturalis», adhibebatur, est tamen satis mirum, cum de illā re, quae eisdem vituperatur, cogitemus. Eodem enim ibi suggeritur generalem aggressionem catholicorum contra Protestantes exhiberi. Hunc in modum usū huius verbi illis in symbolis contradicitur veris condicionibus «conflictationis culturalis», qui in fine saeculi undevicesimi ut contentio inter rem publicam Germanicam atque ecclesias Christianas exstiterat. Hac conflictatione confessio protestantica quōque tacta quidem erat, sed principales sequelas tamen catholici perpassi sunt.

65 Cum Thomas Spreiter in epistulā die 12 m. Febr. a. 1913 ad acta diurna Germanica directā (ASO, Z.1.07) adnotaverit illas symbolas actorum diurnorum «*eundem fontem atque unam eandemque redactionem*» habere, videtur idem non falso iudicavisse, imprimis cum ipsos textūs legamus.

66 Haec actio in publico efficax etiam illuc duxit, ut multi litteraturae posterioris auctores, qui neque in totum conexum neque in fontes incubuerunt, sententiam Berolinensium sequuntur et tantummodo de contractū rupto et de incursione violentā Benedictinorum in regionem protestanticam loquuntur. Cfr ex. gr. Michael LEMKE: Zu Methoden und Wirkungen der katholischen Missionskongregationen in der ehemaligen Kolonie Deutsch-Ostafrika. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.): Mit Kreuz und deutscher Flagge. Münster / Hamburg 1993, p. 138; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, p. 99; Horst SIPPEL: Mission und Gewalt in Deutsch-Ostafrika. Das Verhältnis zwischen Mission und Kolonialverwaltung. In: Ulrich VAN DER HEYDEN / Jürgen BECHER (edd.): Mission und Gewalt. Stuttgart 2000, p. 535, adn. 32; Gert v. PACZENSKY: Teurer Segen. Christliche Mission und Kolonialismus. München 1991, p. 381.

susplicari possumus -, ut missio Berolinensis hac rixā qualecumque emolumentum sibi acquireret atque potentiam auctam sibi vindicaret.⁶⁷

Praesertim symbolis in actis diurnis divulgatis, sed etiam querimoniis Caroli Axenfeld ab gubernio Daressalamensi ad imperiale officium coloniale translatis atque commentario, quod iudicialis consiliarius superior Berner mense Decembri a. 1909ⁱ officio coloniali tradiderat,⁶⁸ duae scaenae dissensionum rixarumque exortae sunt, nempe ipsa regio missionaria Africae Orientalis unā ex parte atque Germania alterā ex parte.

SIGRIDES ALBERT

(*Hōc capitulum continuabitur.*)

[VOX LATINA 212, 2018, pp. 167-189]

67 Hōc in conexū inquisitio scitū dignissima est commemoranda, quae est Thorsten ALTENA: «Brüder» und «Väter im Herrn». Notizen zum inneren Machtgefüge protestantischer deutschsprachiger Missionsgesellschaften 1884-1918. In: Ulrich VAN DER HEYDEN / Holger STOECKER (edd.): Mission und Macht im Wandel politischer Orientierungen. Wiesbaden 2005, pp. 51 sqq. Idem enim praeter alia incumbit in quaestiones, quomodo Berolinensis Consociatio Missionaria composita fuerit, quales structurae auctoritatis viguerint, quales relationes sodales inter se habuerint et quae relatio inter indigenas atque missionarios valuerit. Quomodo praepositi Consociationis Berolinensis Missionariae egerint cum suis missionariis, auctor demonstrat exemplo Caroli [*Carl*] Nauhaus (qui annis 1892-1903 erat superintendens synodae Konde), qui proposita quidem critica, sed utilia frugiferaque exhibuit, quae praeter alia ad Consociationis missionariam rem scholarem non sufficienter excultam spectabant. Talibus propositis effecta sunt dissensiones fundamentales cum commissione Consociationis Missionariae. Mentem autem apertam Caroli Nauhaus esse insubordinationem sodales commissionis interpretati sunt. Carolus Nauhaus poenā luebat et ad auctoritatem commissionis servandam non solum missionarii in Africā Orientali ut forum publicum consulto de Caroli Nauhaus modo se gerendi certiores facti sunt, sed etiam eius cognatis in Germaniā viventibus de eventibus relatum est atque prioris superintendentis dignitas laedebatur. (*Cfr* etiam Marcia WRIGHT: German Missions in Tanganyika 1891-1941. Oxford 1971, pp. 95 sqq.). - Talis modus agendi in interiore Consociationis magnam similitudinem praebet actionibus publicis contra Benedictinos directis.

68 *Cfr* epistula iudicialis consilarii superioris Berner die 9 m. Dec. a. 1912 ad imperiale officium coloniale missa (ASO, Z.1.07). Hōc in scriptō idem accusationes Caroli Axenfeld iteravit atque inde conclusionem traxit Benedictinorum modum se gerendi esse «*magnum et vere serium periculum pro successū regionum tutelarium*». (Sententia originaliter Theodisca).